Einladungs-Programm

zur

Anhörung der öffentlichen Prüfung der Schüler

des

Herzogl. Gymnasiums

zu

Hildburghausen

am 21. und 22. März

und der Redefeierlichkeit

am 23. März 1861.

Inhalt:

Hildburghausen, 1861.
Schnellpressendruck von F. W. Gadow & Sohn.

De quibusdam verbis eundi Homericis.

Quin Graeca lingua ob praeclaram suam ubertatem summa nostra sit digna admiratione, nemo est, qui dubitet. Hac vero ubertate, quae maxima copia vocabulorum, formarum, syllabarum et praepositarum et suffixarum atque variis vocum nexibus efficitur, lingua Graeca excellebat non solum iis temporibus, quibus bellis prospere gestis rebusque publicis bene constitutis civitates Graecae literis et artibus maxime florebant, sed hanc indolem etiam in vetustissimis Graeci ingenii monumentis admiramur, in Homeri carminibus. Quae perlegentes animo in illam vocabulorum copiam intento Homericam linguam praecipue vocibus eundi, micandi, sonandi, pugnandi, interficiendi, animi affectuum esse locupletissimam cognovimus easque explicare et quod inter eas intercedat discrimen quam diligentissime indagare operae pretii duximus. Quibus e vocabulis ut primum eundi verba vocesque ab iis deductas enumeraremus et explicaremus, nobis proposuimus. Haec verba dividenda sunt in tres classes, quarum in prima habenda sunt simplicia verba eundi, in quibus solius motus significatio inest, ut *βαίνειν, ἰέναι, κίειν, (κιάθειν), κινεῖνσθαι, κίνυσθαι, στείχειν, ἕρπειν, ἑρπύζειν, ἔρχεσθαι, ἥκειν, ἵκειν, ἱκάνειν, ἱκνεῖσθαι, μολεῖν, νεῖσθαι, νίσσεσθαι, οἴχεσθαι, οἰχνεῖν, ὁδεύειν, πέλειν, γίγνεσθαι*; in altera ea verba, quibus certa eundi ratio significatur, sive iteratio, sive ordo quidam, sive tarditas, sive properatio, ut *θαμίζειν, φοιτᾶν, ὑπερικταίνεσθαι, ἀλᾶσθαι, ἀλητεύειν, πλάζεσθαι, πλανᾶσθαι, δινεῖν, δινεύειν, ἑλίσσεσθαι, προπροκυλίνδεσθαι, στιχᾶσθαι, ὁμοστιχᾶν, κλονεῖσθαι, χεῖσθαι, ἔῤῥειν, πλίσσεσθαι, προποδίζειν, σκάζειν, χωλεύειν, ἀτάλλειν, σκαίρειν, σκιρτᾶν, ἄλλεσθαι, θρώσκειν, πηδᾶν, διδράσκειν, θεῖν, τρέχειν, σπεύδειν, σπέρχεσθαι, ἀίσσειν, θύ(ν)ειν, ἵεσθαι, Μάειν, μαιμᾶν, οἰμᾶν, ὄρνυσθαι, ὀρεῖσθαι, ὀρούειν, ὁρμᾶν, ὀτρύνεσθαι, παιφάσσειν, ῥώεσθαι, σεύεσθαι, χρᾶν, βάλλειν, ἐρωεῖν, πέτεσθαι, πίπτειν, ποιπνύειν, τανύεσθαι, τιταίνεσθαι, φέρεσθαι*; in tertia ea, in quibus praeter eundi vim vel viae vel termini vel consilii quaedam notio inest, ut *ἀντᾶν, ἀντιᾶν, κυρεῖν, ὁμαρτεῖν, ὁμηρεῖν, ὁμιλεῖν, μίγνυσθαι, ἀγείρεσθαι, ἠγερέθεσθαι, ἀολλίζεσθαι, εἴλεσθαι, σκίδνασθαι, πελάζεσθαι, πίλνασθαι, χρίμπτεσθαι, δύ(ν)ειν, ἰθύειν, νοστεῖν, πείρειν, περᾶν, ἄρχειν, ἡγεῖσθαι, ἡγεμονεύειν, διώκειν, ἕπεσθαι, ὀπάζειν, ὀπηδεῖν, στρέφεσθαι,*

στρωφᾶσθαι, τρέπεσθαι, τρωπᾶσθαι, ἀλεῖσθαι, ἀλεείνειν, ἀλύσκειν, εἴκειν, φέβεσθαι, φοβεῖσθαι, φεύγειν, χάζεσθαι, χωρεῖν, δίειν, δίεσθαι, τρεῖν, ἀτύζεσθαι, λιάζεσθαι. — Quae de quibusdam classis primae verbis conscripsimus, hac occasione oblata, huic libello mandavimus.

βαίνειν, βάσκειν, βιβάς, βιβάσθων.

Verbi *βαίνειν*, cuius tempora praeter praes. et imperf. a radice *βα* descendunt, hac apud Homerum formae leguntur: praes. *βαίνω*; imperf. *ἔβαινον*, *βαῖνον*; fut. *βήσομαι*; aor. 2 act. *ἔβην*, *βῆν*, 3 dual. *βήτην*, *βάτην* Il. 5, 778. 9, 182, 3 pl. *ἔβησαν*, *βῆσαν*, *βάσαν* (*ὑπέρβ.*) Il. 12, 469, *ἔβαν*, *βάν* Il. 10, 150; conj. *βῶ*, *βῶσι* Od. 14, 86, *βείω* Il. 6, 113, *βείομεν* (*καταβ.*) Il. 10, 97, (*ἐπιβ.*) Od. 6, 262. 10, 334, *βήῃ* (*ὑπερβ.*) Il. 9, 501, (*ἐμβ.*), 16, 94; opt. *βαίην*; imp. *βῆθι* (*κατάβ.*) Od. 23, 20. (*μετάβ.*) Od. 8, 492; part. *βάς*, *βᾶσα βάν*; inf. *βῆναι*, *βήμεναι* (*διαβ.*) Od. 4, 635, (*ἐπιβ.*) Od. 7, 196; aor. med. *βήσετο*, in quo pariter atque in aor. *δύσετο* exitus aor. 2 cum *σ* aor. 1 compositus est, (cuius in locum quidam codices *βήσατο* exhibent) Il. 3, 262. 5, 745. 8, 389. (*ἀπεβ.*) 1, 428. 2, 35. 5, 352. (*ἐπεβ.*) 8, 44. 10, 513, 529. 11, 517. 13, 26. 24, 322. (*κατεβ.*) Od. 1, 330. 2, 337; imp. *βήσεο* (*καταβ.*) Il. 5, 109. cf. Spitzn. ad Il. 1, 428. :, 44; perf. *βέβηκα*, cuius formae ex perf. 2 *βέβαα* declinatae sunt: *βεβάασι* Il. 2, 134, *βεβαώς* Il. 14, 477. Od. 5, 130. (*ἐπεμβ.*) Il. 9, 582. (*παρβ.*) Il. 11, 522, *βεβαῶτε* (*παρβ.*) Il. 13, 708, inf. sync. *βεβάμεν* Il. 17, 359, 510; plperf. *ἐβεβήκειν*, quod saepissime sine augmento in *βεβήκει* legitur; 3 pl. *βέβασαν* Il. 17, 286, (*ἔμβ.*) 2, 720. Denique tria tempora commemoranda sunt, quae ab his notione differunt, fut. *βήσω*, aor. 1 act. *ἔβησα*, aor. 1 med., cuius participium *ἀναβησάμενος* semel legitur; de his separatim infra dicemus.

Verbi *βαίνειν* significatio principalis est conditionem quietis deserere et pedibus motis se dare in viam, sich aufmachen, cf. Nägelsbach, Anm. zur Il. p. 60. Hanc notionem multis locis plusquamperfectum servavit, eademque ratione vocabulorum nexus *βῆ δ' ἰέναι*, *θέειν ἐλάαν*, *νέεσθαι* et *βάσκ' ἴθι*, de quibus infra dicetur, interpretandi sunt.

Deinde *βαίνειν* omnino significat passus facere sive pedibus motis ire, quam ob rem proprie dicitur de diis, hominibus, animalibus se pedibus moventibus, saepius addito dativo *ποσί*, ut Il. 5, 745. 8, 389. 13, 18. 13, 158. Od. 17, 27. Rarissime refertur ad res inanimas vel ad actiones compositi loco, ut Il. 2, 134 *ἐννέα δὴ βεβάασιν ἐνιαυτοί*, i. e. jam decem anni praeterierunt. Il. 17, 392 *ἰκμὰς ἔβη*. Il. 2, 339 *πῇ δὴ συνθεσίαι τε καὶ ὅρκια βήσεται ἡμῖν*; Il. 8, 229 *πῇ ἔβαν εὐχωλαί*; Compositi vice *βαίνειν* etiam aliis locis fungitur, ut verbi *ἀποβαίνειν* Il. 2, 351. 24, 766. Od. 24, 301 etc.

E singulis nostri verbi temporibus primum perfectum et plusquamperfectum commemorabimus. Perf. *βέβηκα* aut vulgari modo vertendum est, ut Il. 2, 134 *ἐννέα δὴ βεβάασιν ἐνιαυτοί*, aut interpretandum est: ivi in aliquem locum et nunc in eo sum, ut Il. 1, 37 *κλῦθί μευ, ἀργυρότοξ᾽, ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας*, i. e. qui pro Chryse constitisti et pro ea tuendi causa stas. Il. 14, 477 *ἀμφὶ κασιγνήτῳ βεβαώς*. Il. 17, 359 *ἀνώγει ἀμφ᾽ αὐτῷ βεβάμεν*. Il. 11, 522 *Ἕκτορι παρβεβαώς*. Il. 5, 199 *ἵπποισι καὶ ἅρμασιν ἐμβεβαώς*. Eadem ratione plperf. *ἐβεβήκειν* multis locis interpretandum est, quod vel idem est atque iveram, ut Od. 6, 11 *ὁ μὲν ἤδη κηρὶ δαμεὶς Ἀϊδόσδε βεβήκει, Ἀλκίνοος δὲ τότ᾽ ἦρχε*. Od. 12, 312. 14, 483 *μετὰ δ᾽ ἄστρα βεβήκει*, Il. 2, 720 *ἐρέται ἐν ἑκάστῃ πεντήκοντα ἐμβέβασαν*, vel interpretandum est: iveram in aliquem locum et in eo stabam, ut Il. 17, 137 *ὣς Αἴας περὶ Πατρόκλῳ ἥρωι βεβήκει*, i. e. Aiax ante Patroclum iverat et ante eum defendendi causa stabat, nam v. 133 poeta ipse dicit: *Αἴας ἀμφὶ Μενοιτιάδῃ σάκος καλύψας ἑστήκειν* et v. 138 *Ἀτρείδης δ᾽ ἑτέρωθεν ἑστήκει*. Sed etiam principalem verbi *βαίνειν* notionem plperf. *ἐβεβήκειν* compluribus locis servavit, ut significet: me in viam dederam, ergo ibam. Ita legimus Il. 1, 221 *ἡ δ᾽ Οὔλυμπόνδε βεβήκει*, i. e. quum Achilles gladium in vagina reconderet, Pallas jam se loco commoverat et in Olympum ibat. Il. 16, 751 *ὣς εἰπὼν ἐπὶ Κεβριόνῃ ἥρωι βεβήκει*. Od. 18, 185. 19, 503 *ὣς ἄρ᾽ ἔφη, γρηῢς δὲ διὲκ μεγάροιο βεβήκει*. Od. 13, 164. 15, 464. Il. 6, 495. 20, 161. 23, 391.

Ab hoc verbi *βαίνειν* usu discedunt fut. act. *βήσω* et aor. 1 act. *ἔβησα* et uno Odysseae loco aor. 1 med. participium *ἀναβησάμενος*, quod praeterea nusquam occurrit. In quibus formis inest notio transitiva vel factitiva, ut hoc novo grammaticorum vocabulo utar, ut aliquis praedicetur *βῆσαί τινα ἀπό* sive *ἔκ τινος ἐπί τινος*, i. e. movisse aliquem de sive ex aliquo loco ad aliquem. Ita legimus Il. 11, 756 *ἐπὶ Βουπρασίου πολυπύρου βήσαμεν ἵππους*. Il. 16, 810 *φῶτας ἐείκοσι βῆσεν ἀφ᾽ ἵππων*. Il. 5, 164 *τοὺς ἀμφοτέρους ἐξ ἵππων Τυδέος υἱὸς βῆσε κακῶς ἀέκοντας*. Il. 8, 197 *εἐλποίμην κεν Ἀχαιοὺς αὐτονυχὶ νηῶν ἐπιβησέμεν ὠκειάων*. Od. 15, 475 *οἱ μὲν ἔπειτ᾽ ἀναβάντες ἐπέπλεον ὑγρὰ κέλευθα, νὼ ἀναβησάμενοι*. Ex verbi *βαίνειν* compositis apud Homerum talem usum sequuntur *ἀνα-, εἰς-, ἐκ-, ἐμ-, ἐπιβαίνειν*. Uno loco Od. 23, 52 *ἀλλ᾽ ἕπευ, ὄφρα σφῶιν ἐυφροσύνης ἐπιβῆτον ἀμφοτέρω φίλον ἦτορ* — etiam aor. 2 act. *ἐπέβην* factitivam significationem habere videtur, sed quum talem notionem huic tempori praeterea neque Homerum neque alium scriptorem tribuisse constet, illum locum perditum esse verisimile est, quod quum intellexisset I. Bekker, ut *ἐπέβην* hic quoque suam obtineret notionem, bene emendavit *φίλω ἦτορ*.

Iam quaerentes, quomodo et quibuscum aliis orationis partibus *βαίνειν* apud Homerum sit compositum, saepissime cum praepositionibus id esse conjunctum animadvertimus. Ita legimus *κατ᾽ Οὐλύμποιο καρήνων* Il. 1, 44, *κατ᾽ Ἰδαίων ὀρέων ἐς*

Ὄλυμπον vel εἰς Ἴλιον Il. 8, 410. 11, 196, ἐν νηυσὶν ἔβαινον, i. e. navibus abibant Il. 2, 351, 509, λὰξ ἐν στήθεσι βάς, i. e. in pectore hostis jacentis stans Il. 6, 65, ἐπὶ χθονί in terra Il. 4, 443, διὰ προμαχῶν Il. 4, 495. 5, 562, 566, διὰ σκόλοπας καὶ τάφρον Il. 8, 343. 15, 1, εἰς δίφρον Il. 5, 364, 837, ἐς ἅρματα Il. 5, 239, ἐς ὄχεα Il. 5, 745, ἐπὶ νηός βαίνειν navem conscendere Il. 13, 665, ἐπὶ πύργων Il. 9, 588, ἐπί τινα ad aliquem Il. 2, 18, ἐπὶ πύργον Il. 6, 386, ἐπί τινα, ἐπί τινι, ἰθὺς τινός contra aliquem Il. 16, 751. 5, 849, πρὸς πόλιν ad urbem Il. 6, 41, προτὶ Ἴλιον Il. 6, 113, πρὸς δῶμα Διὸς καὶ μακρὸν Ὄλυμπον Il. 5, 398, παρὰ θῖνα secundum litus Il, 1, 34, ἀμφί et περί τινι β. circum aliquem ire vel pro aliquo consistere defendendi causa Il. 5, 299. 14, 477. 17, 359, 510, 137, μετὰ ἴχνιά τινος vestigiis alicuius instare Od. :, 406. 3, 30, μετὰ δαίμονας ἄλλους in medios deos alios Il. 1, 122, μετ' ἄλλους Il. 4, 292, 364, μετὰ παῖδ' Ὀδυσῆος ad Ulixis filium Od. 13, 440, μετά τινα contra aliquem Il. 5, 152. 6, 21. 13, 469.

Interdum verbum βαίνειν sequitur accusativus, qui indicat, quem in locum quis eat, ut Od. 3, 162 ἔβαν νέας, Il. 3, 262 περικαλλέα βήσετο δίφρον. Talibus accusativis saepe enclitica δέ suffixa est, ut Οὔλυμπόνδε Il. 1, 221, οἶκόνδε Od. 1, 360, κλισίηνδε Il. 9, 712.

Cum participio vel praes. vel aor. alius eundi verbi βαίνειν conjungitur ad eundi rationem significandam; ita legimus βῆ φεύγων fuga abiit Il. 2, 665, βῆ δὲ κατ' Οὐλύμποιο καρήνων ἀΐξασα labitur Il. 2, 167. 24, 121. Od. 1, 102, βῆ θύραζε χωλεύων foras exiit claudicans Il. 18, 416, βῆ φοβηθεὶς refugit Il. 2, 665. 22, 137. Aliorum verborum participia verbo βαίνειν annexa ipsum hominem euntem accuratius describunt, vid. Il. 13, 297, 469 βῆ μέγα πτολέμοιο μεμηλώς, Il. 19, 397 ὄπιθεν δὲ κορυσσάμενος βῆ Ἀχιλλεὺς τεύχεσι παμφαίνων, cf. Spitzner ad Il. 2, 665.

Participium fut. verbo βαίνειν ad consilium indicandum annectitur, vid. Od. 18, 185 γρηῢς βεβήκει ἀγγελέουσα γυναιξὶ καὶ ὀτρυνέουσα νέεσθαι, Od. 19, 503 γρηῢς βεβήκει οἰσομένη ποδάνιπτρα, Od. 13, 17 κακκείοντες ἔβαν οἶκόνδε, Il. 11, 101 βῆ ἐξεναρίξων, Il. 2, 48 ἠὼς προςεβήσετο μακρὸν Ὄλυμπον Ζηνὶ φόως ἐρέουσα, Od. 8, 81 ὑπέρβη λάινον οὐδὸν χρησόμενος.

Etiam cum quibusdam infinitivis praes. βαίνειν conjungitur, ita saepissime legimus βῆ δ' ἰέναι Il. 4, 199. 8, 220, βὰν δ' ἰέναι Il. 4, 209, βῆ ῥ' ἰέναι Il. 10, 73, βῆ δ' ἴμεναι Od. 14, 532, βῆ δ' ἴμεν Il. 5, 167, βὰν ῥ' ἴμεν Il. 10, 297. Rarius invenimus βῆ δὲ θέειν Il. 2, 183. 11, 617, βῆ δ' ἐλάαν Il. 13, 27, ἔβαν οἶκόνδε νέεσθαι Il. 23, 229. Hi quatuor infinitivi cum ἔβην conjuncti inveniuntur soli. Ad eos etiam participium futuri accedere potest, ut Od. 14, 532 βῆ δ' ἴμεναι κείων. In quibus vocabulorum nexibus βαίνειν habet principalem notionem sich aufmachen atque infinitivis ei annexis consilium eundi, currendi, vehendi, redeundi significatur, itaque non

celeritatis notionem, ut quidam grammatici existimabant, hae voces exhibent, sed in iis cognoscimus tranquillitatem et fusius dicendi genus, quod est poetarum epicorum, qui, etiam quum res celeriter factas narrant, singulas actionis partes diligenter persequi non omittunt. Simili compositione nostri dicunt spazieren, hausieren, betteln gehen.

Verbi *βαίνειν* loco complures aliae formae adhibentur, quas deinceps enumeremus:

βάσκειν. Cuius verbi et apud Homerum et apud alios scriptores solus imperativus *βάσκε* legitur isque apud Homerum compositus cum imp. *ἴθι*, *βάσκ' ἴθι*. Hae voces inter se connexae neque *ταυτολογίαν ἐμφαίνουσαν τὴν ἔπειξιν*, ut ait scholiasta, exhibent, neque *ἴθι* hic est hortamentum acre jussae imperataeque celeritatis, ut est apud Gell. N. A. 13, 24, 21, quod probat Naegelsbach ad Il. 2, 8, sed *βάσκειν* in *βάσκ' ἴθι* eodem modo quo *βαίνειν* in *βῆ δ' ἰέναι* etc. interpretandum est; *βάσκε* enim principali verbi *βαίνειν* notione servata habet vim surgendi, *ἴθι* eundi, *βάσκ' ἴθι* igitur nihil aliud est nisi surge et i, epico more fusius res narrandi dictum. Quas voces adhibitas invenimus in orationum exordiis, quibus nuntio alicui sive Iridi sive Mercurio sive *Ὀνείρῳ* sive alii aliquid mandatur, atque aut absolute positae sunt, ut *ἴθι* sit abi et alius imperativus sequatur, ut Il. 8, 399 *βάσκ' ἴθι, Ἶρι ταχεῖα, πάλιν τρέπε*, Il. 24, 144 *β. ἰ., Ἶρι ταχεῖα, λιποῦσ' ἕδος Οὐλύμποιο ἄγγειλον Πριάμῳ*, Il. 24, 336 *β. ἰ. καὶ Πρίαμον ἄγαγε*; aut cum praepositione conjunctae sunt, ut Il. 2, 8 *β. ἰ., οὖλε Ὄνειρε, θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν*. Vergilius (Aen. 4, 223) eadem ratione vocibus vade age utitur, e quibus age imperativo *βάσκε*, vade imp. *ἴθι* respondet.

Verbi *βάσκειν* duo composita apud Homerum leguntur:

παραβάσκειν, quod idem valet atque perf. verbi *παραβαίνειν*. Hoc semel apud Homerum legitur Il. 11, 104 *ὁ μὲν νόθος ἡνιόχευεν, Ἄντιφος αὖ παρέβασκε*, i. e. solebat esse *παραβάτης*, is, qui in curru juxta aurigam pugnandi causa stat. Praeterea tantum apud Ap. Rh. 4, 209 legitur.

ἐπιβάσκειν. Hoc verbum semel lectum notionem factitivam habet, *τινά τινος*, et invenitur Il. 2, 234 *κακῶν ἐπιβασκέμεν υἷας Ἀχαιῶν*, i. e. Graecos in res adversas mittere.

Altera verbi *βαίνειν* forma reduplicatione praedita *βίβημι* est, cuius sola participia

βιβάς et *προβιβάς* leguntur. Ita legimus Il. 7, 213. 15, 307. Od. 9, 450 *μακρὰ βιβάς*, Il. 13, 371 *ὕψι βιβάς*, i. e. magnis gradibus incedens, Il. 13, 18. Od. 17, 27 *κραιπνὰ ποσὶ προβιβάς*, Il. 13, 158 *κοῦφα ποσὶ προβ.*, i. e. celeriter procedens. Etiam participia *βιβῶν* et *προβιβῶν* ex verbo *βιβάω* declinata prius secundum codices Il. 3, 22. Od. 11, 539 — Il. 13, 807. 16, 609. Od. 15, 155 agnoscebantur eademque a quibusdam codicibus etiam illis locis praebebantur, sed Aristarchum *βιβάς* habuisse commemorat schol. A. ad *βιβάς* Il. 7, 213, *οὕτως Ἀρίσταρχος* dicens,

ex quo alios *βιβῶν* legisse conjiciendum est. Quibus verbis repugnare quidam videtur eiusdem schol. annotatio ad Il. 15, 307 allata: *βιβάς Ἀρίσταρχος βιβῶν*, sed Spitzner totum scholium ita emendavit: *βιβάς Ἀρίσταρχος, βιβῶν αἱ πᾶσαι, βοῶν Ζηνόδοτος.* Quam ob rem I. Bekker integram Aristarchi manum prorsus restituendam arbitratus nunc omnibus locis participiis *βιβῶν* et *προβιβῶν* remotis *βιβάς* et *προβιβάς* legit. (cf. Doederl. Hom. Gl. 2004.)

Tertia verbi *βαίνειν* forma est participium

βιβάσθων, eadem ratione qua *βιβάς* adhibitum. Legitur Il. 13, 809. 15, 676. 16, 534 *μακρὰ βιβάσθων*. Quod participium veteres legisse ex schol. ad Il. 13, 809 adscripto cognoscimus (cf. Spitzner ad hunc locum), tamen quia neque veteres neque nostri eius participii exitum *σθων* satis explicare possunt, Doederlein Hom. Gl. 2005 praefert *βιβάσκων*, quod Vindob. 5. tribus illis locis praebet et certa lectio h. Apoll. 133 *ὣς εἰπὼν ἐβίβασκεν ἐπὶ χθονὸς Φοῖβος* probat.

Futuri *βήσομαι* loco apud Homerum interdum occurrit forma

βείομαι sive *βέομαι*, quae tantum in altera Iliadis parte reperitur et simili modo formata est ac futura *κείω* et *πίομαι*. 2 s. est *βέῃ*. *Βέομαι* significat: incedam, i. e. vivam, nam et in terra incedendo et lucem solis videndo (*ἐπὶ χθονὶ δέρκεσθαι* Il. 1, 88) apud Homerum significatur vivere (cf. Doederlein Hom. Gl. 2009). Ita legimus Il. 22, 431 *τί νυ βείομαι*, Il. 15, 194 *οὔτι Διὸς βέομαι φρεσίν*, 16, 852 *οὐδ' αὐτὸς δηρὸν βέῃ*, 24, 131 *οὐ γάρ μοι δηρὸν βέῃ*. H. Apoll. 528 legitur 1. pl. *βιόμεσθα*.

Iam enumeremus verbi *βαίνειν* composita et derivata, quae plurima sunt.

ἀμφιβαίνειν. Hoc verbum cum acc. conjunctum proprie significat circumire, ita Il. 8, 68 *ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει*, i. e. sol medium coelum circumibat, in medium coelum progressus erat (Il. 16, 777. Od. 4, 400); praecipue dicitur de diis, qui tuentes circum aliquem locum eunt sive pro eo stant, ut Il. 1, 37 *ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας*, Od. 9, 198. Translate significat circumdare, cingere, ut Od. 12, 74 *νεφέλη μιν ἀμφιβέβηκεν*, Il. 6, 355 *σὲ πόνος φρένας ἀμφιβέβηκεν*. Il. 16, 66 cum dat. conjunctum est, *Τρώων νέφος ἀμφιβέβηκεν νηυσίν*. Omnibus his locis poeta aut perf. aut plperf. utitur.

ἀναβαίνειν adscendere. Cum acc. conjungitur Il. 1, 497 *οὐρανὸν Οὔλυμπόν τε*, *ὑπερώια* Od. 18, 302; semel cum dat. *νεκροῖς* pedem ponere in mortuis Il. 10, 493; saepe cum *εἰς*, ut *ἐς δίφρον* Il. 16, 65. 23, 352, *εἰς ὑπερῷα* Od. 23, 1, *εἰς ἐλάτην* Il. 14, 287; raro cum *ἐν*, ut *ἐν δίφροισι* currum conscendere Il. 23, 132. Saepissime ad res maritimas relatum significat aut e navi in terram exire Od. 14, 353, aut cum et sine *νῆα* navem conscendere Od. 3, 157, quam notionem tribus Odysseae locis 2, 416. 9, 177. 15, 284 etiam *ἀνὰ νηὸς βαίνειν* habet, ubi, quum genitivus nunquam ex praep. *ἀνά* pendeat, tmesis statuenda est; aut navi in altum vehi (*ἀνάγειν*), ut Od. 14, 252 *ἀπὸ Κρήτης*, Od. 1, 210 *ἐς Τροίην*, Od. 13, 285. Translate cum acc. de fama dicitur

Od. 6, 29 *φάτις ἀνθρώπους ἀναβαίνει*, i. e. rumor per homines spargitur. Factitivam notionem in navem ducendi habent *ἀνέβησα* Il. 1, 144 *ἂν δ' αὐτὴν Χρυσηΐδα βήσομεν* et *ἀναβησάμενος* Od. 15, 475.

εἰςαναβαίνειν ire in superiorem locum. Cum acc. conjungi solet, ut *ἐ. Πέργαμον* Il. 24, 700, *Ἴλιον* Il. 6, 74. 17, 320, 337, *λέχος* Il. 8, 291, *ἀκτήν* Il. 18, 68. 24, 97, *ὑπερώϊον* Il. 2, 514. Od. 16, 449. 17, 101. — Od. 2, 172 legitur *Ἴλιον εἰςανέβαινον*, i. e. Troiam versus navigabant.

ἐξαναβαίνειν. Hoc verbum Aristarchum legisse Il. 24, 97, ubi lectio vulgaris *εἰςἀναβ.*, schol. A. tradit. Quo loco conjunctum est cum acc. *ἀκτήν*, i. e. ex mari litus ascendere. Praeter hunc locum apud serioris demum temporis scriptores ut apud Artemid. occurrit.

ἀποβαίνειν abire, *ἐκ πολέμοιο* Il. 17, 189, *μετ' ἀθανάτους* Il. 21, 298, *πρὸς Ὄλυμπον* Il. 24, 468, 694. Praecipue ex superiore loco, ut *ἐξ ἵππων ἐπὶ χθόνα* Il. 3, 265. 8, 492, *ἐπὶ χθόνα* Il. 10, 541. 11, 619; semel legitur *ἐξ ἵππων ἐπὶ χθονὶ* Il. 24, 459, cf. Il. 1. 437. Suepisseme reperitur *ὣς εἰποῦσ' ἀπέβη* Od. 1, 319. Il. 24, 188 et *ὣς ἄρα φωνήσας ἀπ.* Od. 4, 657.

ἐξαποβαίνειν escendere. Semel legitur cum gen. *νηός* Od. 12, 306; praeter hunc locum etiam apud Ap. Rh.

διαβαίνειν significat aut grandi gradu incedere, ut Il. 12, 458 *εὖ διαβάς*, aut cum acc. transire, ut Il. 12, 50 *τάφρον*, aut absolute trajicere, ut Od. 4, 635 *εἰς Ἤλιδα*.

ἐκδιαβαίνειν, verbum semel lectum et cum acc. *τάφρον* conjunctum, i. e. per fossam ex eaque ire Il. 10, 198.

εἰςβαίνειν introire, absolute dictum Il. 12, 59, praecipue navem conscendere Od. 9, 103, 179. Aor. 1 habet factitivam notionem Il. 1, 310 *ἐς δ' ἑκατόμβην βῆσε θεῷ*.

ἐκβαίνειν exire aut absolute adhibetur, ut Od. 10, 161 *ἔλαφος ἐκβαίνων* sc. e silva, Il. 3, 113 *ἐκ δ' ἔβαν αὐτοί* sc. de curru, Il. 1, 437 *ἐκ δὲ βαῖνον ἐπὶ ῥηγμῖνι* sc. e nave, Od. 8, 38, aut cum gen. conjungitur, ut Il. 4, 107 *πέτρης*. Aor. 1 habet factitivam et verbo *εἰςβῆσαι* contrariam notionem exponendi e nave, ita Il. 1, 438 *ἐκ δ' ἑκατόμβην βῆσαν Ἀπόλλωνι* et Od. 24, 301 *οἱ δ' ἐκβήσαντες* (sc. *σέ*) *ἔβησαν*.

ἐμβαίνειν primum conscendendi sive ingrediendi habet notionem, ita cum dativo *ἵπποισι καὶ ἅρμασι* Il. 5, 199, cum *νηί* et *ἐν νηί* et sine *νηί* (cf. *εἰςβ.*) Od. 4, 656. Il. 2, 720. 2, 619. Absolute dicitur de globo plumbeo, qui in mare defertur, Il. 24, 81 *μολύβδαινα κατὰ βοὸς κέρας ἐμβεβαυῖα ἔρχεται ἐπ' ἰχθύσι κῆρα φέρουσα*, nam partic. *ἐμβεβ.* non cum praepos. *κατά* conjungendum, cuius nexus exempla nusquam occurrunt, sed artius cum insequente verbo consciandum est, jungas igitur *μολ. ἐμβεβ. ἔρχεται* i. e. *ἐμβαίνει* sc. *τῷ πόντῳ*. Deinde significat pedem ponere, et absolute dictum, ut Il. 23, 403 *ἔμβητον καὶ σφῶϊ*, quibus verbis Antilochus equos hortatur, ut per campum

currant, et cum dativo conjunctum Od. 10, 164 τῷ δ' ἐγὼ ἐμβαίνων, i. e. ego in hoc mortuo pedem ponens. Il. 16, 94 habet interveniendi et impediendi notionem, μή τις ἀπ' Οὐλύμποιο θεῶν ἐμβήῃ. Factitivam significationem introducendi praebet aor. 1 Od. 11, 4 (in tmesi) ἐν δὲ τὰ μῆλα λαβόντες ἐβήσαμεν sc. in navem.

ἐπεμβαίνειν ingredi. Semel apud Homerum legitur cum gen. οὐδοῦ conjunctum Il. 9, 582, ubi complures codices praebent ὑπερβεβαώς, quod, quum Oeneus Meleagri limen non sit transgressus, jure deterius censet Wolfius.

ἐπιβαίνειν conscendere sive ingredi. Saepissime cum gen. conjungitur, ita Il. 5, 192 ἵππων καὶ ἁρμάτων, Il. 5, 221. 8, 105 ὀχέων, Il. 8, 44. 13, 26. 24, 322 δίφρου, Il. 5, 46, 227. 16, 343 ἵππων, Il. 8, 198, 512 νεῶν, Il. 8, 165 πύργων, Il. 12, 444 κροσσάων, Od. 5, 399 ἠπείρου, Od. 9, 84. 7, 194. 12, 282 γαίης, Od. 4, 521 πατρίδος αἴης, Il. 16, 396. Od. 6, 262 πόληος, Il. 9, 133 εὐνῆς, Il. 4, 99 πυρῆς. Translate significat participem fieri alicuius rei, εὐφροσύνης Od. 23, 52, de quo loco supra sub ἔβησα diximus, ἀναιδείης, i. e. viam impudentiae inire Od. 22, 424. Raro cum acc. conjungitur, ut Il. 14, 226. Od. 5, 50 Πιερίην. Absolute dicitur cum insistendi notione Il. 5, 666 μηροῦ ἐξερύσαι δόρυ, ὄφρ' ἐπιβαίη. Fut. act. et aor. 1 act. habent factitivam notionem ut ἐπιβάσκειν, ita Il. 8, 197 Ἀχαιοὺς νηῶν, Il. 8, 129 τινὰ ἵππων, Il. 9, 546 πολλοὺς πυρῆς, Od. 7, 223 τινὰ πάτρης. Translate dicitur ἐπιβῆσαί τινα εὐκλείης, σαοφροσύνης gloriae, prudentiae aliquem participem reddere Il. 8, 285. Od. 23, 13.

καταβαίνειν, descendere, conjungitur, ut indicetur locus relictus, cum praep. ἐξ, ut Il. 13, 17 ἐξ ὄρεος, Od. 24, 205 ἐκ πόλιος; cum gen., ut Il. 24, 329 πόλιος, Il. 5, 109 δίφρου; cum acc. ὑπερώια Od. 18, 206. 23, 85; ut indicetur, in quem locum quis descendat, cum praep. ἐς, ita ἐς πεδίον Il. 3, 252, ἐς κρήνην Od. 10, 107, ἐς μέγαρον Od. 10, 432, ἐς θάλαμον Il. 24, 191. 6, 288, ἐς φύλακας Il. 10, 97; cum. praep. ἐπί, ut ἐπὶ χθόνα Il. 10, 541; cum acc. θάλαμον Od. 2, 337, δόμον Ἄιδος εἴσω Od. 23, 252; ut indicetur, qua via quis descendat, cum acc. κλίμακα Od. 1, 330, ξεστὸν ἐφόλκαιον Od. 14, 350. Acc. igitur cum verbo καταβ. conjuncto significari potest locus desertus, via, locus petitus. Il. 14, 19 καταβ. ad ventum refertur.

ἐσκαταβαίνειν, descendere in aliquem locum, semel legitur Od. 24, 222 cum acc. ὄρχατον conjunctum. Praeterea semel reperitur in oraculo ab Herodoto tradito (5, 92).

ὑπερκαταβαίνειν, super locum editum descendere, solum apud Hom. cum acc. τεῖχος conjunctum legitur, Il. 13, 50, 87.

μεταβαίνειν transire ex altero loco in alterum. Od. 8, 492 ἀλλ' ἄγε δὴ μετάβηθι καὶ ἵππου κόσμον ἄεισον hoc verbum dicitur de vate, qui alia carminis (οἴμης) parte finita aliam incipere jubetur. Od. 12, 312. 14, 483 legitur ἦμος δὲ τρίχα νυκτὸς ἔην, μετὰ δ' ἄστρα βεβήκει, i. e. stellae trans medium coelum iverant.

παραβαίνειν τινί juxta aliquem ire. *Παρβεβαώς* dicitur heros, qui juxta alterum in curru stat, non solum pugnans, qui praecipue *παραβάτης* vocatur (cf. *παραβάσκειν*), sed etiam auriga, ut Il. 11, 522 *Κεβριόνης Ἕκτορι παρβεβαώς.* Il. 13, 708 Aiacem Oileum et Aiacem Telamonium *παρβεβαῶτε ἀλλήλοιν* videmus.

περιβαίνειν ire circum aliquem vel pro aliquo ad eum omni ex parte defendendum, ut *βαίνειν περί* sive *ἀμφί τινι.* Ita dicitur absolute Il. 8 331 *οὐκ ἀμέλησε κασιγνήτοιο πεσόντος, ἀλλὰ θέων περίβη,* 13, 420. 14, 424; cum gen. Il. 5, 21 *ἀδελφειοῦ κταμένοιο*; cum dat. Il. 17, 80 *Πατρόκλῳ,* 313 *Ἱπποθόῳ.*

προβαίνειν proprie significat progredi Il. 10, 252 *ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε,* i. e. stellae mox occident, cf. *μετὰ δ᾽ ἄστρα βεβήκει* sub *μεταβ.* Aliis locis *προβαίνειν τινός τινι* translatam significationem antecedendi sive superandi aliquem aliqua re habet, Il. 6, 125 *πολὺ προβέβηκας ἁπάντων σῷ θάρσει,* Il. 23, 890. 16, 54.

προςβαίνειν absolute dicitur Il. 5, 620 *λὰξ προςβάς,* i. e. pedem ponens in hoste jacente (cf. *νεκροῖς ἀναβ.*). Cum acc. conjunctum notionem habet accedendi ad superiorem locum ut *ἀναβ.*, ita Od. 21, 5 *προςβ. κλίμακα* (cui contrarium est *καταβ. κλ.* Od. 1, 330), Od. 21, 43 *οὐδόν,* Il. 2, 48 *ἠὼς προςεβήσετο μακρὸν Ὄλυμπον,* Il. 23, 117 *κνημοὺς προςέβαν πολυπίδακος Ἴδης,* Od. 14, 1 *ἐκ λιμένος προςέβη τρηχεῖαν ἀταρπὸν χῶρον ἀν᾽ ὑλήεντα δἰ ἄκριας.*

ὑπερβαίνειν transire, cum acc. conjunctum Od. 8, 80. 16, 41 *οὐδόν,* Il. 12, 468, 469 *τεῖχος.* Translate et absolute usurpatur Il. 9, 501 *ὅτε κέν τις ὑπερβήῃ καὶ ἁμάρτῃ,* ubi significat transire terminos a deo hominibus constitutos.

A radice *βα* declinatum est adjectivum verbale *βατός,* i. e. pervius, quod ipsum non in Homeri quidem carminibus, sed apud posteriores scriptores legitur; ex vocabulis autem, quae ab eo adject. derivata sunt, apud Homerum reperiuntur haec:

ἀμβατός, epica forma pro *ἀναβατός.* Ita dicitur locus, qui ascendi potest, *πόλις* Il. 6, 434, *οὐρανός* Od. 11, 316.

καταιβατός, poetica forma pro *καταβ.*, adjectivum semel lectum. *Θύραι ἀνθρώποισι καταιβαταί* (Od. 13, 110) sunt valvae, per quas hominibus descendere licet.

πρόβατον. *Τὰ πρόβατα* significant omnia animalia procedentia, *πάντα τὰ τετράποδα,* ut ait schol., animalia, quae procedunt, non volant, natant, serpunt, praecipue mansueta, igitur pecudes. Il. 14, 124, ubi Oenei divitiae enumerantur, praeter campos et hortos *πολλὰ πρόβατα* memorantur. Eodem modo Il. 23, 550 Achillis divitiae celebrantur his verbis: *ἔστι τοι ἐν κλισίῃ χρυσὸς πολύς, ἔστι δὲ χαλκὸς καὶ πρόβατ᾽, εἰσὶ δέ τοι δμωαὶ καὶ μώνυχες ἵπποι.* *Πρόβατον* igitur apud Homerum activam habet notionem, *ἀμβατός* et *καταιβατός* passivam, sed apud posteriores scriptores etiam alia adjectiva a rad. *βα* declinata, *ὑπερβατός* apud Aeschylum (Ag. 416) et *ἀδιάβατος* (i. e. *ὁ μὴ δυνάμενος εὐκόλως διαβῆναι*) in Anecdotis Graecis Bekkeri (343), active usurpata

sunt, quam ob rem non placet, illi simplici vocis *προβ.* interpretationi difficiliorem praeferre, quam Doederlein Hom. Gl. 2001 et 2018 proponit. Hic enim voces *πρόβατα* et *πρόβασις* metathesi ex *παράβοτα* et *παράβοσις* mutatas ducit a verbo *βόσκειν* et *πρόβατα* interpretatur animalia a patre familias praeter familiam pasta.

ἠλίβατος. Hoc adjectivum saepe et apud Homerum et apud alios scriptores cum substantivo *πέτρη* conjunctum legitur, ut Il. 15, 273, 619. 16, 35. Od. 9, 243. 10, 88. 13, 196. Veteres ipsi de notatione eius dubitabant, alii duxerunt a vocibus *ἥλιος* et *βατός*, *πέτρην ἠλίβατον* rupem esse putantes, in qua sol ingrederetur, a sole collustratam, i. e. tam altam, ut aut sol eam primam ingrederetur, aut solus ingredi posset. Alii adj. *ἠλίβ.* pro voce *ἠλιτόβατος* dictum esse arbitrati duxerunt a vocibus *βατός* et *ἀλιταίνειν*, *ἀλιτεῖν* i. e. errare, *ἀποτυχεῖν βάσεως*, ut *πέτρη ἠλίβατος* esset rupes, in qua homini decidendi esset periculum. Doederlein Hom. Gl. 2452 in adj. *ἠλίβ.* verbi *βαίνειν* vestigia non agnoscit, sed ducit a voce *ἄλιβας*, i. e. cadaver, ut *ἠλίβατος* idem sit quod leichenblaß et *πέτρας ἠλιβάτους* rupes albentes sive pallidas esse arbitratur.

Praeterea a radice *βα* aliis suffixis iisque usitatissimis declinantur haec vocabula:

παραιβάτης, poetica forma pro *παραβ.*, i. e. qui juxta aliquem consistit. Semel legitur apud Homerum Il. 23, 132 *ἂν δ' ἔβαν ἐν δίφροισι παραιβάται ἡνίοχοί τε*, ubi significat virum, qui in curru juxta aurigam pugnandi causa insistit.

χαλκοβατής, adjectivum apud solum Homerum lectum et semper compositum cum nomine *δῶ*, *ποτὶ χαλκοβατὲς δῶ*. Il. 1, 426 et Od. 8, 321 Iovis domus *χαλκοβ.* vocatur, Od. 13, 4 Alcinoi, cuius in domo quum *χάλκεοι οὐδοί* et *χάλκεοι τοῖχοι* esse dicantur Od. 7, 83 et 86, apparet, cur ipsa domus *χαλκοβ.* nominetur; *χαλκοβατές* enim est *δῶ χαλκοῦν οὐδὸν ἔχον*. Alii *χαλκοβατής* interpretantur *χαλκοῦς ἐπιβαίνοντι*. Cf. Doederlein Hom. Gl. 2000.

Εὐρυβάτης (longe gradiens). Hoc nomen est Ulixis praeconi Ithacensi, cuius fit mentio Od. 19, 246. Il. 1, 320. 2, 184. 9, 170. — Il. 1, 320 Eurybates Agamemnonis praeco dicitur, sed idem est ille Eurybates Ithacensis, qui tum cum Talthybio apud Agamemnonem praeconis munere fungebatur.

ἀμφίβασις semel legitur Il. 5, 623 *δεῖσε δ' ὅ γ' ἀμφίβασιν κρατερὴν Τρώων ἀγερώχων*, ubi Aiax *Τρώων ἀμφίβασιν* metuens ab Amphii cadavere recessisse dicitur. Hanc vocem multi scholiastas secuti *τὴν ὑπερμάχησιν*, *τὴν ὑπὲρ τοῦ νεκροῦ μάχην* esse putabant, sed Doederlein Hom. Gl. 2001 recte intellexit, illo loco certamen de Amphii corpore omnino nondum ortum esse, sed Aiacem, ne a Troianis appropinquantibus circumveniretur et a suis intercluderetur, timere. Est igitur *ἀμφίβ.* circumventio.

ἔκβασις apud Hom. Od. 5, 410 legitur cum gen. *ἁλός* compositum, *ἔκβασις οὔ πῃ φαίνεθ' ἁλὸς πολιοῖο θύραζε*, i. e. locus, ubi ex mari exeam, nusquam apparet.

πρόβασις, progressio, per translatam significationem est nomen collectivum vocis *πρόβατον*, peculium, *τοῖς κειμηλίοις* Od. 2, 75 contrarium.

ὑπερβασίη. Hoc vocabulum sensu tantum translato saepissime usitatum apud poetas vocis *ὑπέρβασις* vicem obtinet et impietatem sive scelus significat, ut Il. 3, 107 *ὑπερβασίῃ Διὸς ὅρκια δηλεῖσθαι*; Il. 16, 18. Od. 3, 206. Pluralis legitur Il. 23, 589. Od. 22, 168.

ἐπίβαθρον, pecunia, quam qui in navi vehitur (*ἐπιβάτης*) solvit, naulum, semel apud Hom. legitur Od. 15, 449.

βάδην, gradatim, contrarium adverbio *δρομάδην* sive dativo *δρόμῳ*, quod est cursim. Apud Hom. semel reperitur Il. 13, 516 *τοῦ δὲ βάδην ἀπιόντος*.

ἐμβαδόν, i. e. pedibus, contrarium ablativo navibus. Est vox semel lecta, quae occurrit Il. 15, 505 *ἐμβαδὸν ἱκνεῖσθαι πατρίδα γαῖαν*.

λυκάβας annus. Duobus Odysseae locis (14, 161 et 19, 306) leguntur haec verba: *τοῦδ' αὐτοῦ λυκάβαντος ἐλεύσεται ἐνθάδ' Ὀδυσσεύς*. Veteres de huius vocis notatione diverse existimabant. Eustathius priore eius parte mirum in modum a voce *λύκος* derivata voc. *λυκάβας* significare annum, quia singuli dies alius alii succederent ut lupi, qui fluvium transeuntes alius alius caudam morderent, arbitratus est. Sed recte Macrobius (Saturn. 1, 17) in priore nostrae vocis parte eandem radicem cognovit, quam praebet *λύκη*, quod quidem ipsum non est in numero vocabulorum, in voc. *ἀμφιλύκη* tamen occurrit. Eiusdem radicis sunt *λυκόφως*, *λύχνος*, *λευκός*, lux, Licht etc. *Λυκάβας* igitur significat lucis sive solis cursum i. e. annum.

ἐπιβήτωρ. *Ἐ. τινός* est, qui *ἐπιβαίνει* vel *ἐπιβέβηκέ τινος*. *Ἐπιβήτορες ἵππων ὠκυπόδων, οἵ κε τάχιστα ἔκριναν μέγα νεῖκος ὁμοιίου πολέμοιο* Od. 18, 263 sunt viri, qui in curribus stant deque iis pugnant atque celerrime rem decernere solent. Od. 11, 131 et 23, 278 legitur *συῶν ἐπιβήτορα κάπρον*, i. e. aper suem saliens.

ἐμπυριβήτης, i. e. *ἐν πυρὶ βεβαώς*. Hoc adject., quod praeter hunc locum nusquam legitur, Il. 23, 702 *τρίποδι* tribuitur.

βητάρμων, i. e. *βαίνων ἁρμοδίως* (E. M.), incedens ad numeros, saltator. Legitur Od. 8, 250 *ἀλλ' ἄγε, Φαιήκων βητάρμονες ὅσσοι ἄριστοι, παίσατε* et Od. 8, 383 *ἀπειλήσας βητάρμονας εἶναι ἀρίστους*. Cf. Doederlein Hom. Gl. 2002.

Ἀναβησίνεως navem incedens. Hoc Phaeacis est nomen, quod Od. 8, 113 commemoratur cum aliis nominibus, e quibus plurima ad res maritimas nauticasque pertinent.

Ab eadem radice videntur esse declinatae hae voces:

βηλός. Hoc poetarum vocabulo significatur locus, *ἐφ' οὗ βαίνομεν*, i. e. *οὐδός*, januae limen, cf. Gramm. Bekk. p. 224, 16 *τὸν τῆς θύρας οὐδὸν Ὅμηρος βηλὸν, οἱ δὲ τραγικοὶ βαλόν*. *Βηλὸς θεσπέσιος* est limen coeleste, ex quo Iupiter Vulcanum

matrem adjuturum in Lemnum insulam dejecit Il. 1, 591 *ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο*, cf. Il. 15, 23 *ῥίπτασκον τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ*. Zephyri in domo est *βηλὸς λίθεος*, Il. 23, 202 *Ἶρις ἐπέστη βηλῷ ἔπι λιθέῳ*.

βῆσσα, vallis silvestris inter montes viae instar porrecta, legitur Il. 3, 34 *οὔρεος ἐν βήσσῃς*, Il. 18, 588. 22, 190. Od. 19, 435. (Doederlein Hom. Gl. 2440 hanc vocem aliam esse formam femininam adjectivi *βαθύς*, ex *βαθέσα*, *βαθεῖα* ortam putat.)

Βῆσσα. Huius Locrorum urbis, quae ex regionis natura nomen traxit, Il. 2, 532 cum aliis Locrorum urbibus fit mentio.

βωμός proprie significat omne suggestum, in quo quid ponatur. Ita Od. 7, 100 *ἐυδμήτων ἐπὶ βωμῶν* statuae (*χρύσειοι κοῦροι*) positae sunt, et Il. 8, 441 *βωμοί* sunt bases, in quibus currus collocentur. Sed praecipue *βωμός* significat aram, quamobrem dicitur *ἱερός* Il. 2, 305. A voce *ἐσχάρα* eo differt, quod *β.* est ara gradibus (*ἀναβάσει*) instructa, *ἐσχ.* iis caret.

Factitivam notionem pauca tantum vocabula a radice *βα* derivata praebent, *βασιλεύς* et quae ab eo ducenda sunt et *βαστάζω*, cf. Doederlein, Hom. Gl. 2007 et 2008.

βασιλεύς. Hoc vocabulum ex *βασι* et *λαός* (i. e. populus, exercitus) compositum proprie eum significat, qui, ut exercitus ex aliquo loco proficiscatur, facit, sive qui exercitum ducit, ut *Ἀγησίλαος* et Herzog. Sed hac notione militari non servata *βασιλεύς* idem significat quod *ἄναξ*, primum quidem virum summum, regem, cui a Iove imperium tributum est, et qui hanc ob rem *διοτρεφής* vocatur (Il. 2, 196). Ita Agamemno, *ἄναξ ἀνδρῶν* Il. 1, 7, nominatur *βασιλεύς* Il. 1, 9, et Achilles et reliqui heroes Il. 1, 176 *διοτρεφεῖς βασιλεῖς* vocantur. Sed etiam principibus populi, *τοῖς κατὰ μέρος ἄρχουσι*, qui iidem plurimis locis *ἄνακτες* dicuntur, hoc nomen tributum esse jam Aristarchus notat laudatis versibus Od. 8, 390 et 391 *δώδεκα γὰρ κατὰ δῆμον ἀριπρεπέες βασιλῆες ἀρχοὶ κραίνουσι, τρισκαιδέκατος δ' ἐγὼ αὐτός* cf. Od. 8, 41. 1, 394. Interdum *β.* etiam adjectivi vicem obtinet, ut Il. 3, 170 *βασιλεὺς ἀνήρ*, quam ob rem comparativus et superlativus formantur, Il. 9, 160, 392 *βασιλεύτερος*, i. e. nobilior princeps, Od. 15, 533 *γένος βασιλεύτερον*, Il. 9, 69 *βασιλεύτατος*, i. e. summus rex, Agamemno. Ex voce *β.* originem trahunt subst. *βασίλεια* regina Od. 4, 770. 7, 241; adj. *βασιλήιος* regius, vocabulum apud Hom. semel lectum et cum subst. *γένος* conjunctum Od. 16, 401; femininum *βασιληίς*, quod apud Hom. semel Il. 6, 193 cum subst. *τιμή* conjunctum reperitur; *βασιλεύειν* regnare Il. 2, 203. Od. 1, 401 etc.

βαστάζειν portare, sc. gravia onera, *λᾶαν πελώριον ἀμφοτέρῃσιν* Od. 11, 594 et *μέγα τόξον* Od. 21, 405.

ἰέναι, κίειν, (κιάθειν, κηκίειν,) κινεῖσθαι, κινυσθαι.

Radix verbi *ἰέναι* est *ι*. E singulis eius formis apud Homerum repertis notemus has: praes. *εἶμι*, 2 s. *εἶσθα* Il. 10, 450, Od. 19, 69 (*ἔξεισθα* Od. 20, 179) conj. *ἴω*, *ἴησθα* Il. 10, 67, *ἴῃς* Il. 24, 295, *ἴησι* Il. 9, 701, *ἴῃ* Od. 18, 194, *ἴομεν* pro *ἴωμεν* Il. 10, 126, 251, interdum cum *ῑ* Il. 2, 440. 9, 625; opt. *ἰοίην*, *ἴοι* Il. 14, 21, *ἰείη* Il. 19, 209 (cf. Spitzner ad hunc locum) (Il. 15, 82 prius legebatur *εἴην* pro *ἰοίην*, nunc melius *ἤην* i. e. *ἦν*; Il. 24, 139 et Od. 14, 496 *εἴη* trahebatur ad *ἰέναι*, nunc rectius ad *εἶναι*); inf. *ἰέναι*, *ἴμεναι* Od. 8, 287, *ἴμμεναι* Il. 20, 365, *ἴμεν* Il. 5, 167. 10, 297; part. *ἰών*; imp. *ἴθι*; imperf. *ἤια*, *ἤιον* (*ἀνήιον* Od. 10, 146, 274), *ἤιες*, *ἴες*, *ἤιε(ν)*, *ἦε(ν)*, *ἤει* Il. 10, 286. 13, 247. Od. 8, 290, *ἴε(ν)*, *ἴτην*, *ἤομεν* Od. 10, 251, 570. 11, 22, *ἤισαν* (*ἐπήισαν* Od. 11, 233, *ἐπῆσαν* Od. 19, 445), *ἤιον* (*ἐξήιον* Od. 23, 370, *ἀνήιον* Od. 10, 446), *ἴσαν* Il. 13, 795. 24, 647; fut. *εἴσομαι* Il. 24, 462. 14, 8 (hoc loco Faesi *εἴσομαι* ab *εἰδέναι* ducit, quod non probandum est.) (*ἐπιείσομαι* Il. 11, 367. 20, 454); aor. *εἰσάμην* Il. 4, 138. 5, 538. 13, 191, *εἴσατο* Il. 15, 415, Od. 22, 89, *ἐεισάσθην* Il. 15, 544, (*καταείσατο* Il. 11, 358, *ἐπιεισαμένη* Il. 21, 424). Medii quoque praesens, *ἴεμαι*, prius ab editoribus agnoscebatur Il. 12, 274, Od. 22, 304 etc., sed nunc his locis recte *ἵεμαι* legitur.

Hoc verbum eundi ut *βαίνειν* praecipue de diis, hominibus, animalibus dicitur, sed a verbo *βαίνειν* eo differt, quod notio gradus faciendi in verbo *ἰέναι* minus apparet quam in illo. Quam ob rem ille dativus *ποσί*, qui saepius ad verbum *βαίνειν* accedit, cum hoc verbo conjunctus rarissime legitur, ut Od. 20, 367 *τοῖς* (sc. *ποσί*) *ἔξειμι θύραζε*. (Il. 7, 212 autem *πόσσιν* non ad *ἤιε* sed ad *βιβάς* referendum est ut Il. 13, 18 et Od. 17, 27.) Verbum *ἰέναι* igitur latius patet quam *βαίνειν*, itaque quum ratione eundi non plane definita quamlibet rationem significare possit, tum multo saepius quam *ἰέναι* ad res inanimas relatum invenitur.

Plurimis locis simplex eundi sensus adverbiis, praepositionibus, substantivis, participiis, infinitivis additis accuratius explicatur. Saepe refertur ad deos vel viros vel exercitus in proelium et contra hostes euntes, ut Il. 7, 209. 4, 429. 5, 256, 630, 850. 6, 121. 3, 2, 8, 15 multisque aliis locis. Ad aprum ex silva proruentem pertinet Il. 11, 415; ad apum examina e saxis effusa Il. 2, 87; ad accipitrem volantem Il. 17, 756; ad leonem in pecudes ruentem Il. 24, 43. Res inanimae, quas Homerus dicit *ἰέναι*, sunt *πέλεκυς* (*ὅς τ' εἶσιν διὰ δουρὸς ὑπ' ἀνέρος*) Il. 3, 61; *οἰστός* (*διαπρὸ δὲ εἴσατο καὶ τῆς* sc. *μίτρης*) 4, 138; *χαλκός* (*διαπρὸ δὲ εἴσατο χ.*) 5, 538; *δόρυ* (*οὔ πῃ χροὸς εἴσατο*) 13, 191; *πόσις* et *βρῶσις* (*κατὰ λαιμὸν ἰείη*) 19, 209; *κάπνος* (*ὅτε κ. ἰὼν εἰς οὐρανὸν εὐρὺν ἵκηται*) 21, 522; *κῦμα* Il. 4, 426; *νέφος*, (*ἰὸν κατὰ πόντον*) 4, 278; *ἄελλα* (*ἥ ῥά θ' ὑπὸ βροντῆς πατρὸς Διὸς εἶσι πέδονδε*) 13, 796; *ἔτος* (*τάχα δ' εἶσι τέταρτον*) Od. 2, 89; *φάτις* (*αὐτίκα γὰρ φ. εἶσιν ἅμ' ἠελίῳ ἀνιόντι*) Od. 23, 362.

Verbum *ἰέναι* etiam compositorum vicem obtinere, cognoscimus ex Il. 9, 701 *ἤ κεν ἴῃσιν ἤ κε μένῃ* et Od. 2, 89 *τάχα δ' εἶσι τέταρτον* sc. *ἔτος*, i. e. mox quartus annus praeteribit. et aliis locis.

In nostri verbi formarum numero sunt tres, de quibus paucis loquamur, temporis praesentis indicativus, imperativus, participium.

Tempore praesente *εἶμι* plerumque jam Homerus futuri *εἴσομαι* loco utitur. Ita legimus Il. 10, 325 *τόφρα γὰρ ἐς στρατὸν εἶμι διαμπερές, ὄφρ' ἂν ἵκωμαι νῆ' Ἀγαμεμνονέην*. Il. 10, 450 *ὕστερον εἶσθα θοὰς ἐπὶ νῆας*. Od. 19, 69 *ἔξελθε ..... ἢ τάχα καὶ δαλῷ βεβλημένος εἶσθα θύραζε*. Od. 23, 362 *αὐτίκα γὰρ φάτις εἶσιν ἅμ' ἠελίῳ ἀνιόντι*. Il. 5, 256. 7, 98. Compluribus locis *εἶμι* cum alius verbi futuro compositum reperimus, ut Il. 1, 426 *καὶ τότ' ἔπειτά τοι εἶμι Διὸς ποτὶ χαλκοβατὲς δῶ καί μιν γουνάσομαι*. Il. 10, 55 *εἶμι καὶ ὀτρυνέω ἀνστήμεναι*. Il. 23, 825 *οὐ .... εἷς ἐς πόλιν, ἀλλὰ παρέξει*. Eadem ratione composita quoque verbi *ἰέναι* saepius apud Homerum usitata invenimus, ut *εἴσειμι* Il. 24, 463 *ἀλλ' ἤτοι μὲν ἐγὼ πάλιν εἴσομαι οὐδ' Ἀχιλῆος ὀφθαλμοὺς εἴσειμι*, *ἔξειμι* Od. 20, 179 *ξεῖν', ἔτι καὶ νῦν ἐνθάδ' ἀνιήσεις κατὰ δῶμα ἀνέρας αἰτίζων, ἀτὰρ οὐκ ἔξεισθα θύραζε*; *ἔπειμι* Od. 4, 411 *φώκας πρῶτον ἀριθμήσει καὶ ἔπεισι*. Il. 1, 29 *πρίν μιν καὶ γῆρας ἔπεισιν*, *μέτειμι* Il. 6, 341 *ἴθ', ἐγὼ δὲ μέτειμι· κιχήσεσθαι δέ σ' οἴω*, *ἄπειμι* Od. 17, 593. Compluribus locis simplex *εἶμι* temporis futuri notionem non tam aperte habet, ut Il. 1, 169 *νῦν δ' εἶμι Φθίηνδ'*, 1, 420 *εἶμ' αὐτὴ πρὸς Ὄλυμπον*, 3, 305 *ἐγὼν εἶμι προτὶ Ἴλιον*, 3, 410 *κεῖσε δ' ἐγὼν οὐκ εἶμι*, 11, 652. 13, 752. 24, 92, 224. Tamen etiam his locis futuri temporis notionem in *εἶμι* agnoscere velim. At praesentis temporis potestatem *εἶμι* certe in comparationibus retinet, ut Il. 3, 61 *αἰεί τοι κραδίη πέλεκυς ὥς ἐστιν ἀτειρής, ὅς τ' εἶσιν διὰ δουρός*, 7, 209 *οἷός τε ... Ἄρης, ὅς τ' εἶσιν πόλεμόνδε*, 11, 415 *ὡς δ' ὅτε κάπρον ἀμφὶ κύνες .... σεύωνται· ὁ δέ τ' εἶσι βαθείης ἐκ ξυλόχοιο*.

Imperativus *ἴθι* aut levioris aut gravioris adhortationis locum obtinet. Si inest gravior vis, proprio eundi sensu servato hortatur, ut aliquis eat vel abeat vel veniat etc., ut Il. 1, 335 *ἆσσον ἴτ'*, Il. 2, 163, 179 *ἀλλ' ἴθι νῦν κατὰ λαὸν Ἀχαιῶν*, Il. 3, 390 *δεῦρ' ἴθι*, Il. 6, 341 *ἀλλ' ἄγε νῦν ἐπίμεινον .... ἢ ἴθ', ἐγὼ δὲ μέτειμι*, Il. 1, 32 *ἀλλ' ἴθι, μή μ' ἐρέθιζε* — atque cum particulis *ὡς* sive *ἵνα* consilium indicantibus conjungi potest, ut Il. 3, 130 *δεῦρ' ἴθι, ἵνα θέσκελα ἔργα ἴδηαι*, Il. 6, 143 *ἆσσον ἴθ', ὥς κεν θᾶσσον ὀλέθρου πείραθ' ἵκηαι*. Huc etiam *ἴθι* cum antecedente imperativo *βάσκε* compositum pertinere, ex iis, quae supra sub *βάσκειν* diximus, apparet. Sin *ἴθι* levius est adhortantis, idem valet atque Graecorum et Romanorum age et aliis admonendi verbis praeponitur, ut Il. 4, 362 *ἀλλ' ἴθι· ταῦτα δ' ὄπισθεν ἀρεσσόμεθα*. Saepe hunc imperativum inter particulas *ἀλλά* et *νῦν* positum alius imperativus sequitur sine conjunctione, ut Il. 3, 432 *ἀλλ' ἴθι νῦν, προκάλεσσαι ἀρηΐφιλον Μενέλαον*, Il. 10, 53

ἀλλ' ἴθι νῦν, Αἴαντα ... κάλεσσον, Il. 10, 176 *ἀλλ' ἴθι νῦν, Αἴαντα ... ἀνστησον*, Il. 11, 611 *ἀλλ' ἴθι νῦν, Πάτροκλε διίφιλε, Νέστορ' ἔρειο*. Cf. *ἀλλ' ἄγε νῦν, ἐπίμεινον* Il. 6, 340, *ἀλλ' ἄγε νῦν, ἰθὺς κίε Νέστορος* Od. 3, 17.

Simile discrimen, atque *ἴθι* praebet, in participio *ἰών* saepissime usitato observamus. Hoc enim momenti est levioris, si cum alio eundi verbo compositum est, quo accuratius res, ut est poetae epici, exponantur. Ita legimus Il. 10, 470 *ἐπὶ Θρῃκῶν ἀνδρῶν τέλος ἷξον ἰόντες*, Il. 8, 271 *ὁ αὖτις ἰὼν .... δύσκεν εἰς Αἴανθ'*, 10, 394 *ἠνώγει δέ μ' ἰόντα.... ἐλθέμεν*, 21, 522 *ὡς δ' ὅτε καπνὸς ἰὼν εἰς οὐρανὸν εὐρὺν ἵκηται*. Praeter tales locos *ἰών* propriam gravioremque significationem servat, ut Il. 1, 27 *μή σε ... κιχείω ... αὖτις ἰόντα*, Il. 2, 596 *Θάμυριν .... Οἰχαλίηθεν ἰόντα*, atque ubi cum alio verbo compositum est, vertentes explicare possumus: it et ..., ibat et ... etc. Cuius rationis ex magno numero haec satis habemus afferre exempla: Il. 6, 375 *ἔστη ἐπ' οὐδὸν ἰών*, i. e. *ἦιε ἐπ' οὐδὸν καὶ ἔστη ἐπ' αὐτῷ*, Il. 3, 406 *ἧσο παρ' αὐτὸν ἰοῦσα*, i. e. *ἴθι παρ' αὐτὸν καὶ ἧσο παρ' αὐτῷ*, Il. 4, 496. 5, 611 *στῆ δὲ μάλ' ἐγγὺς ἰών*, Il. 8, 280. 11, 577. 7, 46 *στῆ παρ' αὐτὸν ἰών*, Il. 3, 15. 5, 630, 850. 6, 121 *σχεδὸν ἦσαν ἐπ' ἀλλήλοισιν ἰόντες*, Il. 1, 138 *ἕλωμαι ἢ τεὸν ἢ Αἴαντος ἰὼν γέρας*, Il. 1, 185 *ἄγω Βρισηΐδα αὐτὸς ἰὼν κλισίηνδε*, Il. 3, 77. 7, 55 *ἐς μέσσον ἰὼν Τρώων ἀνέεργε φάλαγγας*, Il. 6, 490. Od. 1, 356 *εἰς οἶκον ἰοῦσα τὰ σ' αὐτῆς ἔργα κόμιζε*, Il. 24, 118 *λύσασθαι υἱὸν ἰόντ' ἐπὶ νῆας*, Od. 2, 288 *πρὸς δώματ' ἰὼν μνηστῆρσιν ὁμίλει*. Attamen etiam his locis concedendum est participii usum a poetarum epicorum more rerum latius et fusius perscribendarum non multum abesse.

Quaerendum nunc est, qua ratione verbum *ἰέναι* cum aliis orationis partibus apud Homerum conjungatur. Saepissime componitur cum adverbiis vel praepositionibus, ut *ἄντα, ἀντία, ἀντίον* (etiam cum adjectivo *ἀντίος*) *ἆσσον, αὖτις, ἐξαῦτις, ἄψ, πάλιν, ἐγγύς, ἰθύς, διαπρό, ἀνά, κατά, ἐπί, εἰς, μετά, παρά, πρός, διά, ἐκ* etc. Accusativus, qui ad *ἰέναι* accedit, aut viae est, ut Od. 10, 103 *ἴσαν λείην ὁδόν*, aut quem in locum quis eat indicat, ut Od. 1, 176 *ἴσαν ἀνέρες ἡμέτερον δῶ*, Od. 18, 194 *εὖτ' ἂν ἴῃ* (sc. *Κυθέρεια*) *χαρίτων χορὸν ἱμερόεντα*. Etiam genitivus loci cum *ἰέναι* conjungitur, ut per quem locum quis eat indicetur, ut Il. 5, 597 *ἀνὴρ ... ἰὼν πολέος πεδίοιο*. (Aliter genitivus *χροός* interpretandus est Il. 13, 191 *οὔ πῃ χροὸς εἴσατο* sc. *δόρυ*, ubi *χροός* pertinet ad adverbium *πῇ*. cf. Il. 3, 400. Il. 11, 358. Od. 1, 425. 2, 131. 4, 639.) Permultis locis participium accedit aut praesentis vel aoristi, ut vel eundi modus vel homo iens accuratius declaretur, aut futuri, ut consilium indicetur. Ad illud dicendi genus pertinent haec exempla: Il. 7, 213 *νέρθε ποσσὶν ἤιε μακρὰ βιβάς, κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος*, Od. 22, 89 *Ἀμφίνομος Ὀδυσῆος ἐείσατο ἀντίος ἀΐξας*, Il. 22, 492 *δευόμενος ἄνεισι πάϊς ἐς πατρὸς ἑταίρους ... ἐρύων*. Participia futuri cum *ἰέναι* composita legimus his locis: Il. 1, 420 *τοῦτο ἐρέουσα ἔπος Διὶ εἶμ' αὐτὴ πρὸς Ὄλυμπον*,

Il. 3, 383 αὐτὴ Ἑλένην καλέουσ' ἴε, Il. 10 32 βῆ δ' ἴμεν ἀνστήσων ὃν ἀδελφεόν, Il. 10, 356 ἔλπετο ἀποστρέψοντας ἑταίρους ἰέναι, Il. 10, 451 καὶ ὕστερον εἶσθα θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν ἠὲ διοπτεύσων ἢ ἐναντίβιον πολεμίξων, Il. 11, 652 ἔπος ἐρέων εἶμ' Ἀχιλῆι, Il. 13, 167 βῆ δ' ἰέναι ... οἰσόμενος δόρυ, Il. 13, 247 μετὰ δόρυ χάλκεον ἤει οἰσόμενος, Il. 17, 147 οὐ γάρ τις Λυκίων γε μαχησόμενος Δαναοῖσιν εἶσι περὶ πτόλιος, Od. 4, 24 βῆ δ' ἴμεν ἀγγελέων διὰ δώματα ποιμένι λαῶν, Il. 14, 340 ἴομεν κείοντες, Od. 23, 359 πολυδένδρεον ἀγρὸν ἔπειμι ὀψόμενος πατέρ' ἐσθλόν, Od. 17, 593 ἄπειμι φυλάξων, Od. 10, 159 ἔλαφος ποταμόνδε κατήιεν ἐκ νομοῦ ὕλης πιόμενος. — Denique ἰέναι cum infinitivo interdum conjungitur vel aoristi vel futuri, quo consilium indicetur, ut Il. 7, 372 Ἰδαῖος ἴτω ἐπὶ νῆας εἰπέμεν Ἀτρείδῃς μῦθον Ἀλεξάνδροιο, Il. 15, 544 τὼ μὲν ἐεισάσθην χαλκήρεα τεύχε' ἀπ' ὤμων συλήσειν.

Restat, ut verbi ἰέναι composita et derivata enumeremus et explicemus.

ἀνιέναι aut adscendere in locum superiorem, ut Od. 10. 146 ἐς περιωπήν et Il. 22, 492 ἄνεισι πάις ἐς πατρὸς ἑταίρους i. e. ἐς πατρὸς ἑταίρων δώματα et Il. 8, 538. Od. 1, 24. Il. 18, 136. Od. 23, 362, ubi sol ἀνιών i. e. oriens dicitur (ἠελίου sive Ὑπερίονος ἀνιόντος, ἅμ' ἠελίῳ ἀνιόντι); aut redire, ἐκ πολέμου, ἐξ Ἐφύρης, ἐξ Αἰθιόπων, ἐκ Τροίης Il. 6, 480. Od. 1, 259, 5, 282. 10, 332.

εἰσανιέναι τι ascendere aliquem locum. Apud Homerum hoc verbum semel legitur Il. 7, 423 ἠέλιος ἐξ Ὠκεανοῖο οὐρανὸν εἰσανιών.

ἀπιέναι abire Od. 17, 593 etc.

εἰσιέναι introire, Od. 18, 184 οὐκ εἴσειμι μετ' ἀνέρας, cum accusativo Il. 24, 463 οὐδ' Ἀχιλῆος ὀφθαλμοὺς εἴσειμι, i. e. non Achilli me in conspectum dabo.

ἐξιέναι exire, cum genitivo μεγάρων Od. 1, 374, cum adverbio θύραζε Il. 18, 448. Od. 20, 179, 367, absolute Od. 24, 501.

διεξιέναι. Hoc verbum apud Homerum semel legitur Il. 6, 393 ἔμελλε διεξίμεναι πεδίονδε, i. e. per portam ex urbe exiturus erat in campum.

ἐπιέναι advenire, appropinquare. Absolute dicitur Od. 4, 411. 11. 233. 16, 42. 19, 445, cum accusativo conjungitur, Od. 23, 359 ἀγρὸν ἔπειμι et translate Il. 1, 29 πρίν μιν καὶ γῆρας ἔπεισιν; cum dativo translate Il. 17, 741 ὀρυμαγδὸς ἐπήιεν ἐρχομένοισιν. Eadem ratione adhibetur hoc verbum, quum, id quod saepe fit, hostilem in modum appropinquare sive aggredi significat, aut absolute, ut Il. 5, 238. 13, 477, 482. 10, 189. 21, 424, aut cum accusativo, ut Il. 11, 367. 20, 454 τοὺς ἄλλους ἐπιείσομαι, aut cum dativo, ut Il. 13, 482 ὅς μοι ἔπεισιν.

κατιέναι ex superiore in inferiorem locum ire, descendere. Legitur Il. 4, 475 Ἴδηθεν, Il. 14, 457 κατίμεν δόμον Ἄιδος εἴσω, Od. 10, 159 ἔλαφος ποταμόνδε κατήιεν ἐκ νομοῦ ὕλης, Od. 13, 267 κατιὼν ἄγροθεν sc. οἰκόνδε, i. e. rure domum rediens. Praeterea κατιέναι poeta dicit fluvium Il. 11, 492 (πλήθων ποταμὸς πεδίονδε κάτεισιν

κατ' ὄρεσφιν), navem Od. 16, 472 (ἐς λιμένα in portum sc. ex alto), hastam Il. 11, 358 (ὅθι καταείσατο γαίης, ubi genitivum γαίης ad ὅθι referre malim quam ad verbum, cuius rei exempla supra sub ἰέναι commemoravimus).

μετιέναι significat aut sequi, ut Il. 6, 341 ἢ ἴθ', ἐγὼ δὲ μέτειμι, aut accedere, ut Il. 13, 298 Ἄρης πόλεμόνδε μέτεισιν, Il. 13, 90 ἐνοσίχθων ῥεῖα μετεισάμενος κρατερὰς ὄτρυνε φάλαγγας, Il. 17, 285 Αἴας ῥεῖα μετεισάμενος Τρώων ἐκέδασσε φάλαγγας.

παριέναι. Od. 17, 233 (παριὼν λὰξ ἔνθορεν ἰσχίῳ) παριών est praeteriens, Od. 4, 527 (μή ἑ λάθοι παριών) accedens sive appropinquans.

προσιέναι accedere, cuius verbi participium legimus Il. 5, 515, 682. 7, 308. 10, 339. Od. 16, 5. — Il. 11, 742 ὁ προσιών est accedens hostis.

συνιέναι convenire hostilem in modum, concurrere, ut Il. 6, 120. 20, 159 ἐς μέσον ἀμφοτέρων (Il, 23, 814 ἀμφοτέρω) συνίτην μεμαῶτε μάχεσθαι. Il. 4, 446. 8, 60 οἱ δ' ὅτε δή ῥ' ἐς χῶρον ἕνα ξυνιόντες ἵκοντο, σύν ῥ' ἔβαλον ῥινούς etc., Il. 16, 476 περὶ ἔριδος, Il. 20, 66. 21, 390 ἔριδι, Il. 14, 393 μεγάλῳ ἀλαλητῷ.

τὰ ἦια (ἤια et ἦϊα et per synizesin ἦα) victus, quem, qui iter facit, secum portat. Hoc vocabulum modo fluentia et arida alimenta, vinum et cibum amplectitur, ut Od. 2, 289 ὄπλισσόν τ' ἦια καὶ ἄγγεσιν ἄρσον ἅπαντα, οἶνον καὶ ἄλφιτα (cf. 410) et Od. 12, 327 et 329 εἵως μὲν σῖτον ἔχον καὶ οἶνον ἐρυθρόν .... ἀλλ' ὅτε δὴ νηὸς ἐξέφθιτο ἤια πάντα etc.; modo solum aridum victum significat, ut Od. 5, 266 ἐν δέ οἱ ἀσκὸν ἔθηκε θεὰ (Καλυψώ) μέλανος οἴνοιο τὸν ἕτερον, ἕτερον δ' ὕδατος μέγαν, ἐν δὲ καὶ ἦα κωρύκῳ et Od. 9, 212 τοῦ (οἴνου) φέρον ἐμπλήσας ἀσκὸν μέγαν, ἐν δὲ καὶ ἦα κωρύκῳ. Praeter hos locos nostrum vocabulum iter facientium victum etiam Od. 4, 363 (ἤια πάντα κατέφθιτο) significat; sed duobus locis eius notio paullum differt. Il. 13, 103 enim omnino alimenta significat, ut ἔλαφοι dicantur παρδαλίων τε λύκων τ' ἤια, atque Od. 5, 368 (ὡς δ' ἄνεμος ζαὴς ἠίων θημῶνα τινάξῃ καρφαλέων, τὰ μὲν ἄρ τε διεσκέδασ' ἄλλυδις ἄλλῃ, ὥς ...) ἤια sunt ea, ex quibus cibus paratur, grana sive frumentum. Photius quidem hoc loco ἤια τὴν τῶν ὀσπρίων καλάμην i. e. paleas stipulasque significare arbitratur, sed quum ventus vehemens acervum etiam granorum dissipet, non est, cur ἠίων θημῶνα palearum acervum esse statuamus.

τὸ ἴθμα, incedendi ratio sive incessus, vocabulum rarum et tantum apud poetas, semel apud Homerum lectum Il. 5, 778 αἱ δὲ (Iuno et Pallas) βάτην τρήρωσι πελειάσιν ἴθμαθ' ὁμοῖαι. Eiusdem generis est

εἰσίθμη, quod legitur Od. 6, 264, ubi angustus introitus ad Phaeacum urbem inter duos portus porrectus εἰσίθμη λεπτή dicitur.

ἰσθμιον, vocabulum apud Homerum semel Od. 18, 300 lectum, ἴσθμιον ἤνεικεν θεράπων περικαλλὲς ἄγαλμα, ubi Photius interpretatus est περιτραχήλιον i. e. collare. Declinandum est a vocabulo ἰσθμός, quod veteres grammatici a verbo εἰσιέναι derivarunt, sed ἰσθμός ex forma εἰσιθμός contractum esse, nimis abhorret a verisimili-

tudine; neque vero verbum compositum, sed simplex *ἰέναι* radix esse videtur vocabuli *ἰσθμός.* Hoc enim ab *ἰθμ-*, quod in *ἴθμα* obvium fit, litera *σ* ante aspiratam posita derivatum est, atque naturalis et principalis eius significatio est via, qua incedimus, Gang, via angusta, quae duos locos inter se jungit; itaque et viam inter duo maria porrectam et collum significare potest. Doederlein Hom. Gl. 35 huius vocabuli formam primariam fuisse *ἔσθιμος* ab *ἐσθίειν* deductum et vocem *ἰσθμός* primum gulam, viam ad stomachum ducentem, deinde collum, denique angustum locum inter duo maria porrectum significasse putat.

ἡ ἴτυς ora ad speciem circuli aliquid ambiens. Il. 5, 724 rotarum orbile significat; Il. 4, 486 editores Etym. M. secuti *ἴτυν τὴν περιφέρειαν τοῦ ἅρματος* sive *ἄντυγα* i. e. currus marginem significare putant. Apud posteriores scriptores *ἴτυς* est clipei ora et clipeus ipse.

Ἀμφίων. Hoc nomen, ex verbi *ἀμφιέναι*, quo quidem nemo scriptor utitur, participio formatum, virum circumeuntem et tuentem significat atque inditum est Iasii et Proserpinae filio, Orchomeni Boeotici regi, Od. 11, 283, Iovis et Antiopae filio Od. 11, 262, Epeorum duci Il. 13, 692. Nomen proprium eiusdem originis et significationis est

Ἄμφιος, quod nomen habet et Selagi filius, Troianorum socius, Il. 5, 612 et Meropis filius, Troianorum dux, Il. 2, 830.

Ὑπερίων qui super nos incedit. Hoc nomine proprie vocatur Urani et Gaeae filius, Solis pater, sed apud Homerum loco nominis patronymici *Ὑπεριονίων* Soli ipsi inditum est Il. 8, 480. 19, 398. Od. 1, 8, 24. 12, 133. (cf. *Αἴας, Ὀϊλεύς.*)

Ὑπεριονίδης Hyperionis filius. Hoc cognomen Soli datur Od. 12, 176.

Alia verbi *ἰέναι* forma est

κίειν. Huius verbi indicativus praesentis apud Homerum non legitur, sed saepe impf. *ἔκιον, κίον*, part. *κιών*, conj. *κίω*, opt. *κίοιμι*, imp. *κίε* reperiuntur. Significationem habet eandem quam *ἰέναι*, quod plane apparet ex Il. 7, 307 *ὁ μὲν μετὰ λαὸν Ἀχαιῶν ἤϊ', ὁ δ' ἐς Τρώων ὅμαδον κίε.* A verbi *ἰέναι* usu eo differt, quod soli poetae eo utuntur et quod, quum minus vulgare sit, raro ad res inanimas refertur, ut Il. 2, 509 *τῶν μὲν πεντήκοντα νέες κίον.* Ex ceteris locis, in quibus *κίειν* reperitur, commemoremus hos: Il. 3, 423 *ἡ δ' εἰς θάλαμον κίε*, Il. 6, 422 *οἱ μὲν πάντες ἰῷ κίον ἤματι Ἄϊδος εἴσω*, Il. 8, 337 *Ἕκτωρ ἐν πρώτοισι κίε*, Od. 1, 311 *ὄφρα ἐπὶ νῆα κίῃς*, Il. 24, 285 et Od. 15, 149 *ὄφρα λείψαντε κιοίτην*, Od. 3, 17 *ἀλλ' ἄγε νῦν ἰθὺς κίε Νέστορος*, Il. 3, 447 *ἦρχε λέχοσδε κιών*, Il. 4, 273 *ἦλθε δ' ἐπ' Αἰάντεσσι κιὼν ἀνὰ οὐλαμὸν ἀνδρῶν*, Il. 10, 148 *κλισίηνδε κιὼν ἀμφ' ὤμοισι σάκος θέτο*, Od. 1, 372 *ἀγορήνδε καθεζώμεσθα κιόντες*, Od. 10, 156 *σχεδὸν ἦα κιὼν νεός*, Od. 13, 272 *ἐπὶ νῆα κιὼν Φοίνικας ἐλλισάμην*, Od. 16, 472 *ὑπὲρ πόλιος ἦα κιών.* Cum participio futuri componitur Il. 11, 428 *τῷ δ' ἐπαλεξήσων Σῶκος κίεν.* Huius verbi composita duo apud Homerum solum leguntur eaque cum tmesi praepositionis:

ἐκκιάθειν exire, tantum Od. 24, 492 ἐκ δ' υἱὸς Δολίοιο κίεν.
παρακιάθειν praeterire, tantum Il. 16, 263 παρά τις κιὼν ἄνθρωπος.

Ex radice κι syllaba θ aucta fit κιάθειν (cf. εἴκειν, εἰκάθειν: διώκειν, διωκάθειν), quo quidem verbo nemo utitur scriptor simplici, sed compositi

μετακιάθειν imperfectum μετεκίαθον saepius apud poetas imprimis Homerum legitur. Hoc verbum significat aut post aliquem ire, sequi, ut Il. 11, 52 ἱππῆες δ' ὀλίγον μετεκίαθον et cum acc. Il. 18, 581 τὸν δὲ κύνες μετεκίαθον ἠδ' αἰζηοί; aut hostilem in modum sequi, persequi, ut Il. 18, 532 ἐφ' ἵππων βάντες μετεκίαθον et cum acc. Il. 16, 685 Πάτροκλος Τρῶας μετεκίαθε; aut ire ad aliquem visendi causa, ut Od. 1, 22 Ποσειδάων Αἰθίοπας μετεκίαθε; aut ire per aliquem locum, ut Il. 11, 714 πᾶν πεδίον μετεκίαθον.

Ex verbo κίειν reduplicatione praeposita nascitur

κηκίειν, cuius verbi poetici similis, sed multo restrictior est quam illius, quum tantum ad fluentes aliasque res similiter se moventes (ut fumum), quae per intervalla ex aliquo loco emicant sive scatent, referatur. Verbum simplex apud Homerum semel legitur Od. 5, 455 θάλασσα κήκιε πολλὴ ἂν στόμα ῥῖνάς τε; compositum

ἀνακηκίειν bis, Il. 7, 262 μέλαν ἀνεκήκιεν αἷμα et 13, 705 πολὺς ἀνακηκίει ἱδρώς.

Verbum factitivum, quod a κίειν declinatur, est

κινεῖν efficere, ut aliquid eat, movere. Componitur cum accusativis σφῆκας Il. 16, 264, κῦμα (σκοπέλῳ) Il. 2, 395, λήιον Il. 2, 147, νεφέλην Il. 16, 298, κάρη Il. 17, 200. Od. 5, 285, 376, μέλη Od. 8, 298, θύρην Od. 22, 394, τινὰ λὰξ Il. 10, 158. Passivum legimus Il. 2, 144, 148 κινήθη ἀγορή; Il. 16, 280 ἐκίνηθεν φάλαγγες. Medium κινεῖσθαι eundi potestatem habet, ut Il. 1, 47 αὐτοῦ κινηθέντος et aliis locis. Eandem eundi vim habet altera verbi κινεῖσθαι forma

κίνυσθαι, ut Il. 4, 281, 427 ἐς πόλεμον vel πόλεμόνδε κίνυντο φάλαγγες, Il. 4, 332 νέον συνορινόμεναι κίνυντο φάλαγγες, Il. 10, 280 οὐδέ σε λήθω κινύμενος. Passivam significationem habet Il. 14, 173 τοῦ (ἐλαίου) κινυμένοιο.

Verbi κινεῖν duo composita apud Homerum leguntur:

ἀποκινεῖν amovere, Il. 11, 636 δέπας τραπέζης et Od. 22, 107 τινὰ θυράων.

ὑποκινεῖν, ab imo movere, legitur Il. 4, 423 κῦμ' ὄρνυται Ζεφύρου ὑποκινήσαντος, quo loco Spitzner et alii editores praebent Ζεφύρου ὕπο κινήσαντος, quod grammaticos plures commendasse auctor est schol. Ven. Mihi quidem, quod ventus undam ab imo agitare, ut sublime surgat, dicatur, minime a rerum natura abhorrere, imo aptissimum esse videtur, quam ob rem ὑποκινεῖν hoc loco servandum arbitror.

στείχειν.

Hoc verbum, cuius apud Homerum leguntur tempora στείχω, ἔστειχον, ἔστιχον, ἔστειξα (Od. 4, 277), declinatum est a radice στιχ, quam eandem habemus in substantivo

(*στίξ*) *στιχός* i. e. series, ordo, acies (Il. 16, 173. 20, 362. 4, 90. 20, 326. 3, 326. 18, 602). Quam ob rem propriam verbi *στείχειν* notionem verisimile est fuisse passus serere. Simplicem ac merum eundi sensum re vera in verbo *στείχειν* apud Homerum inesse locis, in quibus legitur, inter se comparatis cognoscemus. Loci sunt hi: Il. 2, 833 *οὐδὲ οὓς παῖδας ἔασκεν στείχειν ἐς πόλεμον*, Il. 16, 258 *οἱ δ' (Ἀχαιοὶ) ἅμα Πατρόκλῳ θωρηχθέντες ἔστιχον*, Il. 9, 86 *ἑκατὸν ἑκάστῳ κοῦροι ἅμα στεῖχον*, Od. 17, 204 *ἀλλ' ὅτε δὴ στείχοντες ὁδὸν κατὰ παιπαλόεσσαν ἄστεος ἐγγὺς ἔσαν* (Ulixes et Eumaeus), Od. 7, 72 *ὅτε στείχῃσ' ἀνὰ ἄστυ* (Alcinoi uxor), Od. 9, 444 *ὕστατος ἀρνειὸς μήλων ἔστειχε θύραζε*, Od. 11, 17 *ὁπότ' ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν* (*ἠέλιος*). Omnibus his locis *στείχειν* nihil nisi ire significat, nam procedendi ordinibus compositis notionem, quam quis inesse putet, huic verbo non subjiciendam esse, praecipue ex iis locis discimus, ubi refertur ad subjectum singulare, ut ad Alcinoi uxorem Od. 7, 72, ad arietem Od. 9, 444, ad solem Od. 11, 17. Neque vero per se idem esse quod nostrum eiusdem radicis verbum steigen i. e. ascendere ex inferiore loco ad superiorem vel descendere, praecipue docent vv. Il. 2, 833. 16, 258. 9, 86, ubi varietatis superficiei, in qua inceditur, nulla habetur ratio. Praeterea ex illis locis discimus, verbum *στείχειν* apud Homerum non ad res inanimas referri. Apparet igitur, verbum *στείχειν* proxime ad *βαίνειν* accedere, sed multo minus esse usitatum. Ex huius verbi compositis Homerus utitur his:

ἀποστείχειν abire, *σὺ αὖτις ἀπόστιχε* Il. 1, 522, *οἴκαδε* Od. 11, 132, *ἀνὰ νῆσον* Od. 12, 143, 333.

περιστείχειν, circumire, verbum tantum Od. 4, 277 lectum, ubi cum acc. conjunctum est, *τρὶς περίστειξας κοῖλον λόχον*.

προςστείχειν, accedere, verbum tantum Od. 20, 73 lectum, ubi cum acc. et participio futuri conjunctum est, *Ἀφροδίτη προςέστιχεν Ὄλυμπον αἰτήσουσα*.

A verbo *στείχειν* derivatum est *στοῖχος*, quod idem valet atque *στίξ*. Ipsum quidem apud Homerum non legitur, sed tria composita:

τρίστοιχος, vocabulum tantum Od. 12, 91 lectum, *τρίστοιχοι ὀδόντες* i. e. dentes triplici ordine stantes.

τριστοιχί (prius *τριστοιχεί*), adverbium eiusdem notionis, tantum Il. 10, 473 lectum.

μεταστοιχί eadem serie incedendo, ut alius juxta alium, non alius post alium consistat vel incedat. Hoc sensu *μ.* adhibitum esse non solum Il. 23, 757, sed etiam, licet scholiasta dissentiat, eiusdem libri v. 358 Doederl. Hom. Gl. 2050 recte intellexit. Apud alios scriptores *μ.* non legitur.

A radice *στιχ* duo alia eundi verba derivata sunt, *στιχᾶσθαι*, ordine incedere, et *ὁμοστιχᾶν*, eodem ordine cum aliquo incedere, quae alteri verborum eundi classi tribuenda sunt, et unum nomen proprium, *Στιχίος*, quod est duci Atheniensium Il. 13, 195. 15, 329.

De ceteris eundi verbis, quibus Homerus utitur, alio tempore.

Schulnachrichten.

Uebersicht des Lehrplans für das Schuljahr 1860—1861.

Name der Klasse und des Ordinarius.	Lehrgegenstände.	Wöchentliche Stundenzahl.	Namen der Lehrer.
Prima. Ordinarius: **Doberenz.**	Religion: Glaubenslehre. Evangelium Johannis im Urtext	2	Emmrich.
	Lateinisch: Cic. Tuscul. lib. V., Tacit. Agricola und Annal. lib. II., Horat. Od. libb. II. und III. und einige Episteln und Satiren	4	Doberenz.
	Correctur der Aufsätze, Exercitien und Extemporalien	2	Doberenz.
	Repetitionen	1	Doberenz.
	Privatim wurde gelesen: Cicero, Sallust, Livius, Horaz, Homer, Sophocles Demosthenes, Xenophon.		
	Griechisch: Hom. Il. libb. XVI. und XVIII. und Soph. Oed. R.	2	Doberenz.
	Plato, Menexenus; Thucydides, Leichenrede; Demosthenes, Olynthische und erste Philippische Rede . .	2	Reinhardt.
	Extemporalien: Zurückübersetzungen aus griechischen Rednern	1	Reinhardt.
	Deutsch: Geschichte der deutschen Nationallitteratur von Klopstock an. Lectüre von Lessing's Laokoon u. Göthe's Egmont. Freie Vorträge. Correctur der Aufsätze	3	Rittweger.
	Hebräisch: Psalm 126—150. 1—51	1	Reinhardt.
	I. Sam. 5—26. Esther	1	Reinhardt.
	Französisch: Gelesen: Racine's Athalie u. Britannicus; Scribe's Le Puff und einige Kapitel von Challamel's Vie de Napoléon. Schriftliche Arbeiten . . .	2	Müller.
	Geschichte: Alte Geschichte	3	Rittweger.
	Mathematik: Reihen, Trigonometrie, Kegelschnitte . .	3	Büchner.
	Physik: Mathematische Geographie	2	Büchner.